

dines non solum subditis diocesis necessariis requisitis suffultis, sed etiam subjectis eidem episcopo ordinanti, imo etiam aliis aliunde cum dimissoriis suorum ordinariorum confluentibus. Priviter., in *Manual. antist.*, p. 86 per tot.; Bass. *De vicar. Apost.*, tit. 2, n. 11.

(72. Ad differentiam vicarii episcopi, tum capituli, vicarius Apostolicus utitur proprio sigillo ac titulo vicarii Apostolici, et aliis decoratur honoribus huiusmodi vicariis concedi solitis ad instar præsulum. Pigna-

## VICARIUS CAPITULARIS.

## ARTICULUS I.

Quoad ea quæ concernunt ejus electionem, qualitatem, initium et finem suæ jurisdictionis.

## SUMMARIUM.

1. Vicarius capitularis est eligendus a capitulo infra octo dies post mortem episcopi, alias electio devolvitur ad metropolitanum, ad n. 40. — 41. Quis possit eligi in vicarium capitularem, ad n. 48. — 49. Alia ad rem ad n. 68.

(1. Vicarius capitularis est eligendus a capitulo infra octo dies post mortem episcopi, alias electio devolvitur ad metropolitanum. *Communis*, textu expresso in concilio *Tridentino*, sess. xxiv, *De reform.*, cap. 16, ibi: « Item officialem, seu vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituere vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatum, vel alias quantum fieri poterit, idoneus; si secus factum fuerit, ad metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur. »

(2. Et si Ecclesia ipsa fuerit metropolitana aut exempta, et capitulo intra octo dies vicarium capitularem non elegerit, tunc electio vicarii capitularis pro metropolitana devolvitur ad antiquiorem ex episcopis suffraganeis, et pro Ecclesia exempta devolvitur ad episcopum propinquiorem. *Communis*, textu expresso in ipso concilio *Tridentino*, loco citato, ibi: « Et si Ecclesia ipsa metropolitana fuerit, aut exempta, capituloque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior episcopus in exempta œconomum et vicarium idoneos possit constituere. »

(3. Ante concil. *Tridentinum* tamen de jure communi non tenebatur capitulo vicarium constituere, sede vacante, sed poterat per se ipsum jurisdictionem exercere. Abbas, in cap. *Irrefragabili*, n. 2. De officio ordinarii; Felin., in cap. *Cum olim*, n. 9. De majorit. et obedient.; Fagnan., in cap. *His quæ*, eod. tit., n. 16; Pellegrin., in *Praxi vicariorum*, part. 1, sect. 4, subsect. 2, n. 5, et alii passim.

(4. Capitulo non potest cogi ad creandum vicarium intra pauciores dies quam octo, sed potest gaudere termino a sacro

(125) Et P. Andreas Hieronymus Andreucci in egregio de vicariis commentario, p. 1, quæ tota est

tell., *Consult. canon.*, tom. IX, consult. 159, n. 10 et seq.; Learen., *De vicar.*, cap. 5, q. 599, n. 2.

(73. De vicario Apostolico sede plena deserit auctor, sed vide etiam de eo Bass., dict. tract., tit. 3 et per tot.

Viaculum esset, si hic haud moneremus, quod ubi res postulat, consulendus præ cæteris de vicario Apostolico est, sanctæ et immortalis memoriæ Benedictus XIV, *De synodo diocesan.*, lib. II, cap. 10 per tot. (125).

concilio sibi dato. Vide verb. CAPITULUM, art. 3, n. 29.

(5. Et infra illos dies, antequam vicarium constituat, exercitium jurisdictionis spectat ad totum capitulo in solidum, non autem ad primam dignitatem. Vide, *ibid.*, n. 30.

(6. Capitulo nedom potest eligere vicarium capitularem post mortem episcopi, sed etiam quando Ecclesia vacat per translationem episcopi ad aliam Ecclesiam. Vide, *ibid.*, n. 31.

(7. Et Ecclesia vacat per translationem episcopi statim ac habita fuit notitia, etiam ex testimonio seu documento secretarii Sacri Collegii, quod episcopus a suæ Ecclesiæ vinculo absolutus fuit in consistorio Sanctitatis Suæ, etiam ante expeditionem litterarum Apostolicarum, vel adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ; tunc enim capitulo potest, et debet sedem vacantem publicare, et vicarium juxta concilii *Tridentini* præscriptum eligere. Vide, *ibid.*, n. 31.

(8. Sic etiam capitulo potest constituere vicarium in casu quo episcopus efficiatur captivus ab hostibus catholicæ fidei. Vide, *ibid.*, n. 32.

(9. Item sedes vacat, si episcopus ingrediatur aliquam religionem, et tunc capitulo potest eligere vicarium capitularem. Vide, *ibid.*, n. 33.

(10. Item vacat sedes per renuntiationem. Vide, *ibid.*, n. 34. (11. Similiter vacat sedes per depositionem vel relegationem. Vide, *ibid.*, n. 35.

(12. Non potest tamen capitulo constituere vicarium in casu quo episcopus sit excommunicatus vel suspensus, vel in casu quo, episcopo in remotis degente, vicarius generalis ab ipso relictus moriatur, vel a principe sæculari ejiciatur a diocesi, quia tunc recurrendum esset ad Sedem Apostolicam pro provisione. Vide, *ibid.*, n. 36.

(13. Capitulo non potest devenire ad electionem vicarii capitularis ante certam notitiam vacationis. Vide, *ibid.*, n. 37.

(14. Capitulo neque potest devenire ad electionem vicarii capitularis post habitam notitiam mortis, vel translationis episcopi, quando vicarius episcopi defuncti vel translati missus fuerat a Papa, vel a sacra congregatione Episcoporum. Vide, *ibid.*, n. 38.

de vicario Apostolico, et exstat lib. 1 *Hierarchiæ ecclesiasticæ*, a pag. 235.

(15. Electio vicarii capitularis debet fieri, capitulo more solito capitulariter congregato, et per secreta suffragia, alioquin nulla est. Vide, *ibid.*, n. 39.

(16. Capitulo non potest eligere in vicarium capitularem, nisi unum tantum; et si eligat plures, electio devolvitur ad metropolitanum; si tamen plures successive eligit, primo electus debet continuare; dummodo habeat requisita. Vide num. 40.

(17. Potest tamen capitulo duos vicarios constituere, ut alternis mensibus vicarii munere fungantur, si legitimam habeat ad id consuetudinem ab immemorabili servatam sine interruptione, et electi sint præditi omnibus qualitatibus, quas Tridentinum requirit. Vide, *ibid.*, n. 41.

(18. Facta semel per capitulo electione vicarii capitularis, non potest illum ad libitum revocare et novum constituere. Vide, *ibid.*, n. 42.

(19. Si tamen adesset justa causa illum revocandi, debet prius habere licentiam a sacra congreg. Episcoporum. Vide, *ibid.*, n. 43.

(20. Imo non potest per capitulo revocari vicarius capitularis, eliamsi sit electus cum clausula quod possit revocari ex causis sibi benevisis. Vide, *ibid.*, n. 44.

(21. Plures sunt causæ, propter quas solet sacra congregatio Episcoporum facultatem concedere removendi vicarium capitularem, ut indignum, et tales causæ assignantur, *ibid.*, num. 42.

(22. A capitulo pro electione vicarii capitularis non debent vocari canonici absentes, nisi commode fieri possit. Nec ita absentes possunt mittere aut constituere procuratorem ad ferendum in electionem suffragium. Vide, *ibid.*, n. 46.

(23. Si tamen adsit consuetudo legitime præscripta admittendi in electione canonicos absentes per procuratorem, talis consuetudo esset intelligenda et restringenda ad absentes solummodo intra provinciam, et ibidem detentos aliquo legitimo impedimento de tempore actualis electionis vicarii. Vide, *ibid.*, n. 47.

(24. Et si econtra adesset consuetudo non vocandi quoquomodo absentes a civitate, servanda esset. Et tanta est vis consuetudinis, quod a capitulo pro electione vicarii, præter canonicos, vocandi sunt etiam illi qui de jure non sunt de capitulo, ut portionarii, alique beneficiati Ecclesiæ, si adsit consuetudo legitime præscripta illos vocandi. Vide, *ibid.*, n. 48.

(25. Si autem consuetudo non sit pacifica et legitime præscripta, sed solum pauci actus efferantur, in quibus ii qui non sunt de corpore capituli fuerint admissi ad suffragium ferendum, tunc capitulo potest illos excludere. Vide, *ibid.*, n. 49.

(26. Capitulo debet pro vicario capitulari eligere unum qui sit de gremio capituli, si adsit idoneus. Vide, *ibid.*, num. 52.

(27. Et qui sit doctor, alias electio esset nulla. Vide, *ibid.*, num. 51.

(28. Nec sufficit quod sit magister in sacra

theologia, sed debet esse saltem doctor in jure canonico. Vide, *ibid.*, num. 52.

(29. Nec etiam sufficit quod sit doctoratus a persona privata, sed in aliqua universitate. Vide, *ibid.*, num. 53.

(30. Habilis tamen non doctor tolerari potest, si doctor haberi non possit. Vide, *ibid.*, num. 54.

(31. Debet tamen vicarius non doctor eligere sibi consultorem benevisum, qui sit doctor, et in rebus legalibus et arduis peritus, a quo possit dirigi. Vide, *ibid.*, num. 55.

(32. Si capitulo eligat aliquem non doctorem, quando adest doctor, ex quo talis electio sit nulla, tunc electio devolvitur ad metropolitanum. Vide, *ibid.*, num. 56.

(33. In casu tamen quo vicarius deputatus per metropolitanum ob malam electionem capituli, vel ob ejus negligentiam, decederet, tunc posset capitulo novum eligere vicarium infra octo dies, ut prius. Vide, *ibid.*, num. 57.

(34. Capitulo non potest in electione, seu deputatione vicarii apponere restrictivam, ut vicarius capitularis non possit procedere contra aliquem capitularem absque consensu capituli. Vide, *ibid.*, num. 58.

(35. Vel sine adjunctis. *Ibid.*, num. 59.

(36. Nec potest apponere in electione conditionem, ut participet capitulo de emolumentis ex officio vicariatus provenientius. Vide, *ibid.*, num. 60.

(37. Nec potest capitulo reservare sibi facultatem signandi supplicationes, distribuendi conciones, vel habendi superintendentiam seminarii. Vide, *ibid.*, num. 61.

(38. Vel faciendi gratiam condemnatis ab ipso vicario, vel cognoscendi de causis suspicionis ipsius vicarii, ac judicem non suspectum partibus deputandi, vel cum alia quacunque restrictione insolita. Quod si vicarius capitularis electus fuerit cum huiusmodi restrictionibus, poterit nihilominus libere uti sua jurisdictione absque ullo respectu supradictarum conditionum. Vide, *ibid.*, num. 43.

(39. Capitulo enim post electionem vicarii nullam exercere potest jurisdictionem, quia post electionem tota jurisdictio episcopalis transit ad vicarium capitularem privative quoad capitulo, non cumulative. Vide, *ibid.*, num. 63, verb. Ordo, art. 3, num. 42.

(40. Unde substitutio facienda propter absentiam vicarii spectat ad ipsum vicarium, et non ad capitulo. Vide, *ibid.*, num. 64.

(41. Vicarius capitularis potest esse canonicus ejusdem Ecclesiæ, qui in eadem civitate et Ecclesia curam quoque gerit animarum. Sac. congregat. Episcop., in *Ortonen.* 19 Martii 1619, et 19 Julii ejusdem anni. (42. Ubi etiam fuit declaratum quod contrariæ decisiones, nempe quod parochus nequeat eligi in vicarium capitularem, intelliguntur de parochia rurali. Sic refert decisionem ad litteram Barbosa, *De canonicis et dignitatibus*, c. 42, num. 38.

(43. Vicarius capitularis eligi debet æta-

lis saltem xxv annorum, si haberi possit, alias permittitur posse eligi in ætate xxiii annorum, si sit idoneus, sed non semper expedit. Sacra congreg. Concil., die 11 Augusti 1618, apud Barbos.; in conc. Trident., sess. xxiii, *Dereform.*, cap. 16, num. 19, et in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Vicarius capitularis Sede vacante*, num. 8, et Sellium, in *Select. canonic.*, cap. 19, num. 44.

(44. In electione vicarii capitularis sunt præferendæ dignitates, et canonici, quatenus sint idonei, canonico coadjutori, ut respondit sacra congregat. Concil. 14 Aprilis 1685, lib. xxxv, fol. 37, apud Monacell., tom. II, tit. 16, formul. 10, sub num. 13.

(45. Si electio non concludatur in tempore a concilio Tridentino præscripto cap. 16, sess. xxiv *De reform.*, fit devolutio ad formam conciliaris decreti, tam in casu negligentia, quam in casu dissensionis. Sacra congregat. Concil., in *Aquilana* 10 Octob. 1605, lib. xxviii, fol. 195, apud Monacell., *loc. cit.*

(46. Si in electione duo canonici doctores habuerint vota paria, neuter est vicarius legitimus, et electio propterea, transacto octiduo, devolvitur ad metropolitanum, juxta dispositionem concilii, ut respondit sacra congregat. Concil., in *Vercell.* 12 Martii 1611, lib. xvii, fol. 769, apud Monacell., *loc. cit.*

(47. Si Ecclesia suffraganea vacans careat capitulo, electio, seu deputatio vicarii pro illius administratione spectat ad capitulum metropolitanæ pastore carentis, non autem ad antiquiorem episcopum suffraganeum, non obstante synodo provinciali, ut declaravit sacra congregat. Concil. 28 Augusti 1683, confirmata 14 April. 1685, lib. xxxv, fol. 195, apud Monacell., *loc. cit.*

(48. Si autem Ecclesia cathedralis carens capitulo, non sit suffraganea, sed exempta, et Sanctæ Sedis immediate subjecta, uti est Ecclesia, seu episcopatus Portuensis prope Almam urbem, tunc videtur quod deputatio vicarii capitularis in casu vacationis Sedis non pertineat ad propinquiorem episcopum, juxta dispositionem concilii Tridentini, sess. xxiv, *De reform.*, cap. 16, sed consulenda sit Sancta Sedes, quia episcopo viciniore devolvitur electio secundum dispositionem concilii in casu negligentia capituli; at quando Ecclesia capitulo caret, casus est omissus a concilio. Sic præcisus verbis Monacell., *loc. cit.*, n. 13 in fine, testans insuper, quod quoties occurrit vacatio in dicta cathedrali seu episcopatu Portuensi, episcopus viciniore non se ingerit in deputatione vicarii, sed Ecclesia remanet sub regimine eminentissimi urbis vicarii, quia est in districtu urbis, usque dum novus episcopus Ecclesiæ possessionem capit.

(49. Vicarius capitularis debet provideri de competenti salario. Sacra Congr. Concilii, in *una Ventimilien.* 15 Octobris 1601; apud Barbos., in *Summa, loc. cit.*, num. 13, et *De canonic. et dignitatibus* cap. 42, num. 35, et apud Pellegrinum, *loc. cit.*, subsect. 1, num. 30. Quod potest esse ad rationem scu-

torum quatuor pro singulis mensibus, ut declaravit ead. sacra congreg., in *una Casalen.* 21 Aug. 1654. Non tamen debet esse majus eo quod habebat vicarius episcopi defuncti. Ead. sacra congreg., in *Ventimilien.* 15 Januarii 1602, apud Pellegrin., *loc. cit.* Attendenda tamen est circa supradicta omnia legitima locorum consuetudo, arg. cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine.

(50. An vicarius capitularis lucretur distributiones quotidianas, si choro propter suum munus non intersit? Variant doctores. Affirmativam enim sententiam defendunt Pellegrinus, *loc. cit.*, num. 21; Garcias, Gonzalez, Pavin., Covarruv., et alii ab ipso citati, dicentes non currere paritatem de vicario episcopi, quia ideo ipse non interessendo choro, non lucretur distributiones, quia servit episcopo, et non Ecclesiæ, ut servit vicarius capitularis, sicut notat Rota, dec. 222, num. 5, p. II *Diversar.* Negativam autem sustinent Monacell., tom. III, tit. 1, formul. 41, num. 5; Moneta, *De distributionibus*, part. II, q. 11, n. 83 et seq.; Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, part. III, alleg. 54, num. 165, vers. *Qui dum a choro absens est*, et *De canonicis, et dignitatibus* cap. 42, n. 39, et alii plures. Ut autem concilientur doctores, dicendum est standum esse legitimis locorum consuetudinibus, ut ibi vicarius capitularis absens a choro lucretur distributiones, ubi adest legitima consuetudo eas lucrendi; et ibi non lucretur, ubi adest legitima consuetudo eas non lucrendi, arg. cit. cap. *Cum tanto* 11, De consuetudine; et sic tenent Rota, cit. decis. 222, num. 6, part. II *Diversar.*; Barbosa, *loc. cit.*; Quaranta, in *Summa bullar.*, verb. *Capitulum Sede vacante*, vers. *Octavo dubitatur*; Prosper August., in *Addit. ad d. Quarant.*, *loc. cit.*, num. 8 in fine; Rebuff., tit. *De vicario episcop.*, num. 5, et ipse Pellegrinus, *loc. cit.*, num. 31 in fine, cum aliis ibi allegatis.

(51. Si vicarius capitularis, ubi adest consuetudo interessendi choro pro lucrendis distributionibus, voluerit ipsas lucrari, debet interesse cum solita veste canonicali, et sedere in loco proprio sui canonicatus, neminem antiquiorem præcedendo. Rota, in *Lucerna Beneficii* 18 Decembris 1579, coram Seraphino, et eadem Rota, decis. 288, num. 2 part. II, recent., apud Barbos., cit. allegat. 54, num. 166, et Pellegrin., *loc. cit.*, n. 34, et sic tenent cum ipsis plures alii doctores.

(52. Si vero noluerit distributiones lucrari, debet præcedere omnes, excepta prima dignitate post pontificalem. Sic rescriptum fuisse a sacra congregatione, in *una Assisiensi de mense Augusti* 1630, dum ipse esset Assisii, testantur Nicolius, in *Floscul.*, verb. *Vicarius capitularis*, num. 67, et refert etiam Pellegrin., *loc. cit.*, num. 34, et alii.

(53. Vicarius capitularis non potest occupare sedem archidiaconi in ecclesia, sed sedere debet in alia sede portatili. Sacra Congr. Rit., in *Nucerina* 10 Aprilis 1601,

apud Pellegrin., *loc. cit.*, num. 34, et Barbosa, *De canonicis et dignitatibus*, cap. 42, num. 42.

(54. Archidiaconus seu alia dignitas major post pontificalem præfertur vicario capitulari, etiamsi dictus vicarius non sit canonicus. Barbos., cit. cap. 42, num. 41, et cit. alleg. 54, num. 167, cum aliis ibi citatis.

(55. Vicarius semel ac canonicus est electus, durat toto tempore vacationis Ecclesiæ. Quamvis enim Barbosa, in *Summa Apostolic. decis.*, *loc. cit.*, num. 7, et tract. *De canonicis, loc. cit.*, num. 44, et in Trid. cit. sess. xxiv, cap. 16, num. 14, referat sacram Congreg. sub die 17 Junii 1617, decrevisse posse capitulum eligere vicarium cum clausula, quod non duret nisi per annum: tamen Nicolius, in *Flosculis*, verb. *Vicarius capitularis*, sub num. 59, refert sæpius a sacra congreg. Episcop. decisum fuisse, non posse capitulum eligere vicarium capitularem ad certum tempus, sed pro toto tempore vacationis Ecclesiæ. Sic dicta sacra congregat., in *Potentina* 7 Maii 1604, 30 Augusti 1641, 3 Martii 1607, 14 Februarii 1648, et in *Sutrina* 21 Novembris 1653. Quod et melius esse testatur etiam ipse Barbosa, in cit. cap. 44, num. 44, et cit. sess. xxiv, cap. 16, num. 14, referens ita rescripsisse sacram congregat. Episcoporum, episcopo Cajetano sub die 28 Octobris 1587. Et sic expresse tenet Monacell., tom. I, tit. 1, formul. 2, num. 14, cum Fagnano, et aliis ibi citatis, adductis insuper aliis decretis.

(56. Unde vicarii capitularis jurisdictio cessat solum post possessionem realem captam a novo episcopo. Sedes enim episcopalis intelligitur semper vacare usquequo litteræ Apostolicæ prælati provisi de illa Ecclesia, cujus Sedes vacabat, non fuerint præsentatæ capitulo, nec interim potest episcopus noviter provisos episcopatum ministrare. Extravagant. *Injunctæ* 2, De electione; unde vicarius capitularis potest continuare exercitium suæ jurisdictionis donec novus episcopus adeptus fuerit realem episcopatus possessionem. Quaranta, in *Summa Bullar.*, verb. *Capitulum Sede vacante*, num. 13, vers. 13 *Dubitatur*; Flaminius Parisius, *De resignat.*, lib. VIII, quæst. 5, num. 33; Rebuffus in *Praxi benefic.*, tit. *De Simonia in resignat.* num. 11; Henricq., cons. 29, n. 4; Aloysius Riccius, in *Praxi fori eccles.*, decis. 376 in prima edition., resolution. 509 in secunda edition.; Stephanus Gratian., *Disceptat. forens.*, c. 27; Pellegrin., *loc. cit.*, subsect. 6, num. 1 et 2, cum pluribus ibi citatis; Barbosa, cit. alleg. 54, n. 161; Gonzalez, *Ad regul.* 9 *Cancellar.*, glossa 15, § 2, num. 88, ubi refert fuisse conclusum, validam esse quamdam collationem canonicatus in mense ordinario vacantis factam a capitulo Burgen-si, spreto episcopo jam promoti et habente expeditas litteras suæ provisionis, qui tamen nondum illas ostenderat, nec præsentaverat.

(57. Terminatur autem vicarii capitularis jurisdictio cum mittitur vicarius Aposto-

licus a Papa, vel a sacra congregatione Episcoporum, quod fit si Ecclesia diu vacaverit, ut censuit sac. cong. Ep., in *una Alatriana* 28 Junii 1649, præsertim si subditi in administratione justitiæ aliquid inconveniens experiantur. Ead. sacra congreg., in *Ungentinen.* 17 Septemb. 1665.

(58. Item cessat jurisdictio vicarii capitularis, quando removetur a sacra congregatione, vel vocatur ad Urbem pro justificandis rebus de quibus fuit inculpatus. Sacra congreg. Episcop., in *Spoletana* 12 Novembris 1600, in *Asten.* 30 Septembris 1650, et in *Monopolitana* 2 Maii 1653.

(59. Quod hactenus dictum est de vicario capitulari cathedralis, locum habet, servata proportione, in vicario capitulari collegiatæ exemptæ, et nullius diocesis; capitulum enim collegiatæ, quæ nullius diocesis est, et subditur proprio prælati, ordinariam, et quasi episcopalem jurisdictionem habenti, vacante sede dicti sui prælati, debet eligere vicarium capitularem eodem modo, et eisdem legibus, capitulis cathedralium præscriptis a sacro concilio Trident., sess. xxiv *Dereform.*, cap. 16. *Communis.* (60. Cum hac tamen differentia, quod vicarius capitularis dictæ collegiatæ exemptæ, et nullius, non debet necessario esse doctor aut licentiatus in jure canonico, sicuti tenetur esse vicarius capitularis cathedralis. Sic expresse declaravit sacra congregatio Concilii ad dict. cap. 16, die 12 Septemb. 1585, apud Garciam, *De beneficiis*, tom. I, part. v, cap. 7, n. 20, et apud Pellegrinum, *loc. cit.*, sect. 5, n. 5. (61. Non posse autem eligi vicarium capitularem per clericum Ecclesiæ exemptæ abbatia vacante, decrevit sacra congregat. Concil. in *Anglonen.* 30 Januarii 1717, ut refert card. Petra tom. V *Comment. ad constit. 4 Calixti III*, sect. 3, n. 10.

(62. Affertur novissima resolutio sacre congregationis Concilii quoad varia dubia de vicario capitulari in ipsa proposita, ut sequitur:

« I. An possit capitulum Sede vacante, post electum vicarium in spiritualibus et temporalibus deputare alium toties quoties sibi placuerit ad aliquid faciendum in exercitio jurisdictionis translata, ipsam jurisdictionem reassumendo?

« II. An possit capitulum per seipsum dare subditis chartas testimoniales, vel reverendas ad ordines suscipiendos, vel debeant dari per vicarium generalem capitularem?

« III. An possit capitulum in deputatione vicarii capitularis dare jurisdictionem limitatam; et possit in hoc casu, attendi consuetudo regni Lusitanie? et quatenus affirmative.

« IV. An possit reservatam jurisdictionem alicui alteri committere, vel illam debeat per seipsum exercere?

« V. An possit capitulum dare subditis attestaciones de vita et moribus per seipsum, vel debeant dari a vicario capitulari?

« VI. An possit capitulum jubere vicario

capitulari, ut det tales attestaciones, vel debeat pendere ab arbitrio vicarii capitularis?

« VII. An in concursu parochialium debeat intervenire arbitrium vicarii capitularis, vel debeat pendere ab arbitrio capituli, facto concursu in presentia capituli, vel in absentia, et an debeat attendi consuetudo regni in casu, » etc.

Sacra congreg. Concil., in *Elven. Jurisdictionis* 1 Decembr. 1736, respondit: « Ad I. *Negative*; ad II. *Negative* quoad primam partem, et *Affirmative* quoad secundam. Ad III. *Negative*; ad IV. provisum in tertio; ad V. *Negative* quoad primam partem, et *Affirmative* quoad secundam; ad VI. *Negative*; ad VII. *Affirmative* quoad primam partem ad formam juris; in reliquis *negative*.

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. Pacifica haud est opinio auctoris, n. 60, nempe quod et capitulum collegiatæ Ecclesiæ, defuncto prælato *Nullius*, debeat constituere vicarium capitularem; jurisdictionem enim remanere penes capitulum, nec teneri ipsum constituere vicarium capitularem, sentiunt Fagnan. in cap. *His quæ*, n. 77, De major. et obed., ubi quod ita resolvit S. congreg. Concilii interpres, Lauren., *De vicar.*, tract. 3, c. 4, quæst. 541 per tot.

(64. Capitulum vero cathedralis vel metropolitane Ecclesiæ non teneri in electione vicarii capitularis servare formam c. *Quia propter*, De elect., communis sententia est; ut rejecto Fresc. *De visitat.* l. 1, c. 24, n. 32, firmant Pirrhing ad t. *Decret. de offic. vicar.*, n. 77; Pignatell., *Consult. canonic.*, tom. VIII, consult. 34, n. 9 et 11; Garc., *De benefic.*, part. v, c. 7, n. 21; Leuren., *De vicar.*, tract. 3, c. 4, q. 550, n. 1.

(65. Hinc fit, quod necesse haud sit, ut hæc vicarii capitularis electio fiat per suffragia secreta. Leuren., *De vicar.*, tract. 3, cap. 4, q. 55, n. 2.

(66. Debet vero concurrere major pars suffragiorum, et quidem collegialiter præstitorum, ut valida sit electio vicarii capitularis facta a minori parte capituli: minime valida evadit per subscriptionem litterarum patentium factam a majori parte ejusdem capituli, cum non sufficiat consensus postea datus a singulis. Pignatell., *Consult. canon.*, tom. I, consult. 23, n. 7; Leuren., *De vicar.*, tract. 3, c. 4, q. 552 per tot.

(67. Coram quo et quomodo proponenda sit nullitas electionis vicarii capitularis, vide apud Leuren., *De vicar.*, tract. 3, cap. 6, q. 554 per tot.

## RESPONSIO AUCTORIS.

(68. Pacificam non esse opinionem meam l. c. expositam, quod et capitulum collegiatæ Ecclesiæ, defuncto prælato *Nullius*, debeat constituere vicarium capitularem, in his *additionibus* astruitur: at mihi auctori sufficit pro mea opinione habere expressam declarationem sacr. congreg. Con-

cil. et doctores *ibi* allegatos. Imo ex resolutione sacr. congreg. Concil. adducta hiesub n. 1, ex Fagnano secuto a Leurenio locis *ibid.* cit. eruitur quidem, quod capitulum collegiatæ exemptæ, et *nullius* non teneatur eligere vicarium qui sit doctor, vel licentiatu in jure canonico; at non quod non teneatur eligere vicarium capitularem. Dubium enim propositum in sacr. congreg. Concil. relatum a Fagnano *ut supra*, erat sic præcise: « An decretum concilii in cap. 16, sess. 24: Quod capitulum Sede vacante, constituere debeat vicarium, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatu, locum habeat etiam in collegiata defuncto ejus prælato. Et S. congregatio censuit, non habere locum. » Ex quo decreto deducitur, sacram congregationem censuisse, Tridentinum non habere locum quoad necessitatem eligendi doctorem, at non quoad necessitatem eligendi vicarium, ut tradunt Barbosa in dict. sess. xxiv, cap. 16, num. 30; Pellegrin., *De vicario capitulari Eccles. nullius diocesis*, sect. 5, n. 5, ex Garcia, *De benefic.*, tom. I, part. v, cap. 7, n. 20, ubi refert sic fuisse decisum a dicta sacr. congregat. Et ratio est, quia ut dicunt, si non est necesse, ut hic prælatus mortuus sit doctor, ergo nec etiam vicarius, ut censuit ead. sacr. Congr., *ibid.*, et notant Sbroz., in *Addition. ad q. 36*, § 1; Aloysius Rice. in *Collectan.* 1607; Ragucc., *De voce canonie. in Eccles.*, q. 36, num. 6, apud Pellegrin., *locis citatis*.

## ARTICULUS II.

Quoad ea quæ vicarius capitularis facere potest, vel non.

Sequentia expende.

(1. Vicarius capitularis, sicuti capitulum Sede vacante, succedit episcopo in his quæ illi competunt de jure communi, non vero in his quæ sunt de jure speciali, sive delegato. *Communis*, per text. in cap. *Eam te* 7, De rescriptis, cap. *Cum olim* 14, De majoritat. et obedient. cum similibus; in vicarium enim capitularem canonice electum transfertur tota jurisdictio capituli, et jurisdictio vicarii capitularis in supradictis eadem est, quæ fuit episcopi. Sacra congreg. Episcoporum, in *Reatina* 21 Novemb. 1303, apud Nicolium in *Flosculis*, verb. *Vicarius capitularis*, n. 68.

(2. Vicarius capitularis potest concedere dimissorias ad ordines infra annum a die vacationis sedis aretatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, ut colligitur clare ex conc. *Trid.*, sess. vii, c. 10, De reform., et pluries declaravit expresse sacr. cong., et signanter in *Neapolitana* 11 Jan. 1604, et in *Aleriana* 24 Januar. 1653.

(3. Et aliquando conceditur facultas vicario capitulari, ut etiam infra annum a die vacationis sedis episcopalis possit concedere dimissorias ad ordines, cum voto tamen pleni capituli, ubi pro servitio Ecclesiæ id necessarium esse fuerit iudicatum, prout a sacr. cong. Episcop. concessa fuit vicario

capitulari Antuerpiensis Ecclesiæ 15 Mart. 1593.

(4. Aretati ratione *beneficii recepti* dicuntur illi, qui obtinent aliquod beneficium requirens servitium personale, ratione ejus de jure, consuetudine, privilegio, statuto Ecclesiæ vel fundatione infra annum teneatur se promoveri facere ad illum ordinem, quem requirit tale beneficium. Barbosa, *ad Trid.* citat; sess. vii, cap. 10, cum pluribus *ibi* citatis. Monacell., tom. III, tit. 2, formul. 3, n. 2, et alii passim.

(5. Aretati autem ratione *beneficii recipiendi* dicuntur illi, qui habent jus, seu sunt vocati, aut presentati ad aliquod beneficium vacans, seu capellaniam, quæ requirit actu certum ordinem, quo illi carent. Barbosa, *loc. cit.*, n. 17, cum aliis *ibi* allegatis; Monacell., *loc. cit.*, n. 2, et quod presentati ad beneficia dicantur aretati, expresse declaravit sacr. congreg. Episcoporum, in *Squillacen.* 3 Januar. 1594, apud Nicolium, *loc. cit.*, n. 70, vers. *Presentati*, et Monacell., tom. I, tit. 1, formul. 2, n. 21.

(6. Post annum vero a die vacationis sedis episcopalis potest vicarius dimissorias ad ordines quibuscunque suis subditis etiam non aretatis concedere. Colligitur clare ex conc. *Trid.*, cit. sess. vii, cap. 10, et expresse declaravit sacr. congreg. ejusdem conc., apud Garciam, *De beneficiis*, part. v, cap. 7, n. 93, et Pellegrinum, l. c., subsection. 2, n. 5, et sacr. cong. Episcop. in *Neapolitana* 12 Jan. 1604, et in *Aleriana* 24 Jan. 1653, apud Nicolium, *loc. cit.*, n. 70, ubi declaravit concedere dimissorias post annum spectare ad vicarium capitularem, et non ad capitulum.

(7. Potest vicarius capitularis etiam ante lapsum anni concedere licentiam extero episcopo exercendi pontificalia in ecclesiis diocesis, et ordines conferendi clericis exteris habentibus litteras suorum episcoporum, non tamen clericis subditis vacantis Sedis. Sac. cong. Conc., in *Brixien.* 16 Maii 1705; Barbosa, *De canonicis et dignitat.*, c. 42, n. 124; Quaranta, in *Summa Bullar.*, verb. *Capitulum Sede vacante*, q. 11; Navarr., consil. 27, *De tempor. ordinat.*; Mofesius, in *Summa*, tract. 2, c. 2, n. 28; Piasec., part. 1, c. n. 13, pag. 39; Marcus Anton. Genuens., in *Praxi archiep. Neapolitan.*, c. 87, n. 33; Marcian., part. vi, c. 3, n. 16; Fornar., *De ordine*, c. 5, n. 8, vers. *Quarto nota*, et alii.

(8. Potest vicarius ante lapsum anni obtinenti facultatem a Sede Apostolica de suscipiendo ordinem cum licentia sui ordinarii, hanc licentiam subordinatam concedere. Navarr., consil. 20, *De temporibus ordinat.*; Piasec., *loc. cit.*; Barbosa, *loc. cit.*, num. 123, et alii.

(9. Potest vicarius capitularis dare licentiam episcopo externo confirmandi, ecclesias consecrandi, reconciliandi, et alia ad usum pontificalium spectantia exercendi in sua jurisdictione. Sac. congreg. Episcop., in *Nepesina* 15 Decembris 1603; apud Nicol., *loc. cit.*, num. 3, et Pellegrinum, *loc. cit.*, subsection. 1, n. 6.

(10. Et ipsemet vicarius potest ecclesiam non consecratam reconciliare. Sac. cong. Rit., in *Hidrutina* 15 Dec. 1632, apud Bonfadin., in *Thesaur. eccles. dec.*, resol. 51, num. 23, et Barbos., in *Summa collectan.* 712, n. 4.

(11. Potest vicarius capitularis diocesim visitare per se vel per alium, et in visitatione decreta facere, dummodo sit lapsus annus a postrema visitatione, nec faciat novitates. Sac. cong. Episc., in *Lancianen.* 10 Jun. 1629, et *Pampilonen.* 3 Februar., eodem anno in *Materan.* 10 Dec. 1604, cum famulatu et comitatu solito a conc. *Trid.* sess. 24, c. 3, *De reform.* præscripto. Sac. cong. Conc., in *Limana* 10 Maii 1629.

(12. Item potest diocesanam synodum congregare elapso anno ab altera synodo ultimo celebrata. Sic decisum fuisse a sacr. cong. Conc. referunt Garcias *De benefic.*, part. ix, cap. 2, n. 8; card. Petra, tom. V, *Comment. ad constitut. 4 Calixti III*, sect. 2, n. 113, et alii plures. Vide verb. *SYNODUS*, n. 11.

(13. Et eo tempore, quo synodum celebrat, potest eligere examinatores synodales, extra vero illam non potest, sed uti debet electis antea. Sac. congreg. Episcop., in *Neapolitana* 12 Jan. 1604.

(14. Item concursum ad parochiales vacantes, tempore sedis vacantis facere potest, ut poterat episcopus, servata forma concilii. *Trident.*, sess. xxiv, c. 18, De reform., magis idoneum eligere, et approbationem ad Sanctiss. Dominum, ejusque eminentiss. datarium mittere pro confirmatione electionis. Sacra congregat. Episc. in *Ravennaten.* 3 Februarii 1604.

(15. Potest executioni demandare litteras episcopo per sacram congregationem directas, et ab illo non executas. Sac. congreg. Episc. et Regul. die 10 Apr. 1615.

(16. Vicarius capitularis potest absolvere a censuris, et dispensare in irregularitatibus ex delictis occultis Sedi apostolicæ reservatis provenientibus, in quibus est id concessum episcopis a concilio *Tridentino*, sess. xxiv, *De reform.*, cap. 6. Sic sacra congregat. Concil. 3 Dec. 1632 apud Barbosam, *De canonicis et dignitatibus*, cap. 24, n. 62 in fine, et in *Summa Apostolic. dec.*, collectan. 717, n. 5, et Pellegrinum, *loc. cit.*, subsection. 2, n. 22.

(17. Item potest vicarios idoneos parochialibus vacantibus deputare, donec de rectore provisum sit, et proponere edicta ad concursum. Sac. congreg. Concil., apud Aldan., in *Compendio canonic. resolut.*, lib. I, tit. 43, n. 46, et Barbos., in *Summa, loc. cit.*, n. 25. Vide *supra*, n. 14.

(18. Item potest sibi substituere vicarium ad modicum tempus propter ejus absentiam vel infirmitatem; hoc enim spectat ad ipsum, et non ad capitulum. Sac. cong. Concil., apud Pellegrin., *loc. cit.*, n. 26, et apud Barbosam, in *Summa, loc. cit.*, n. 9. Vide verb. *CAPITULUM*, art. 3, n. 64.

(19. Item potest sine adjunctis procedere, si episcopus, dum vivebat, auctoritatem ha-